

DEO Duce!  
SPECIMEN ACADEMICUM,  
De  
NATURA  
OBLIGATIONIS,

Quod  
Cum consensu ampl. facult. Philol. in Reg. academ. Aboënsi,

Sub MODERAMINE

VIRI CL.

D<sup>N</sup>. ALGOTHI A.  
SCARIN,

Hist. & phil. civ. prof. reg. & ord.

*publico honorum examini submittit*

JACOBUS NILKAN

*Nyländus.*

Die XXVIII. Novembr. Anno MDCCLXIV.  
horis ante meridiem consuetis.

---

ABOÆ,

Excud. JOH. KIEMPE, Reg. Acad. Typogr.

L. M. P. 80

Handelsmänne i Borgo  
Åhreborne och Högwälsachtade  
Herr HENRIC NILKAN,  
Så och  
Herr MATS NILKAN,

Mine Högårade Bröder.

**D**å hela wida jordflots runden  
Den aldrig nånsin funnits har  
Som kunnat sagt/ at han el war  
På många tusend sätt **SKIBBUNDEN**.

Den **GUD** som uti länc och leder  
Har fogat allt så underlig /  
Har jemwähl förbehållit sig  
At stifta **LAW** råte och seder,

Hwart enda ting uti naturen  
Har sielf sin lag och regel fädt;  
Men pröfwan med förnuftets mått /  
Det hörer ei til stunnna diären.

**GUD** och naturen skälens wilja  
I lagens bojer sluta plår;  
Dem dock förnuftet gånna bår!  
So de sig från **WAR** **WAR** et skilja.



Hvem rör för det at mången våre  
Stg self et ook af lydnan gidr:  
Och icke wid de bördor rör/  
Som för sel wilja et å' swäre?

Jag som det **BANDES** **UR** tänckt wilja/  
Då jag min skrift i liuset gaf  
Förnöthet mig och der utaf/  
Ut så **EHK** goda wilja prisa.

En som af **EHK** jag godt har uttit/  
Så kan et uhr mitt minne gå/  
Det **BAND** hwar med **J** **BANDE** **IBI**  
Så ljufligt mig och kånbart knutit.

**EHK** kärlek har jag tidt färd spörja  
Och jämt så at jag trohar på  
I wärelig brist om någon må/  
Den lycta bättre eller börja.

Til prof utaf en tackiam wilja/  
Så tagen detta af min hand/  
Och tro'n så säkert at det **BAND**  
Skal sielwa böden intet skilja.

JACOB NILKAN.

Handwritten text at the top of the page, appearing to be a list or index of entries.

Handwritten text block, possibly a title or a section header, with some decorative elements.

Handwritten text block, continuing the list or index of entries.

Handwritten text block, possibly a title or a section header.

Handwritten text block, continuing the list or index of entries.

JACOB MILKIN





§. I.

**Q**uantæ utilitatis & necessitatis sit vera & genuina *Legis*, & speciatim *Naturalis* notitia, tanti quoque esse existimandum est, indolem nosse *obligationis*, sine qua lex in meram *prudentialiæ*, etiam *arbitrariæ* converteretur regulam. Etenim quum Lex in genere sit norma seu regula, secundum quam quis actiones suas liberas conformare obligatur, oppido liquet legem, vi suæ *essentiæ*, obligationem includere, sine qua lex non amplius erit lex, sed alia quæcunque agendorum ratio, amico & sincero animo commendata, quam libere quis admittere eademve renunciare possit. Naturam igitur obligationis nobis pro modulo ingenii evolvendam sumimus, singula, quæ illam ingrediuntur, quantum licet distincte, sed breviter explicaturi. C. L. benignam, qua par est modestia, expetentes centuram.

§. II.

**A**ctiones, quæ ab homine proficiuntur, cum philo-  
A sopheris

3  
sophis in *naturales* & *liberas* distingvimus, quarū illæ per essentiam & naturam hominis determinantur: hæc ex essentia & natura hominis non profluunt, sed ex libera animæ voluntate pendent. Obligationem, cujus indoles jam quæritur, non circa illas, sed has versari actiones, sponte omnes concedunt. Harum ergo naturam paucis evolvere conabimur.

§. III.

**N***ecessarium* in genere Metaphysici dicunt, cujus oppositum est impossibile. Ideoque *absolute* necessarium vocant, cujus, oppositum in se & sua natura est impossibile, seu quod in se & absolute immutabile. *Physice* autem necessarium illis audit, cujus oppositum, respectu virium naturalium, est impossibile. Pater itaque *naturales* hominum actiones, licet non metaphysicâ, cum aliter conceptæ contradictionem non involvant, *physica* tamen laborare necessitate; sed ab utraque prorsus immunes esse actiones, quæ a *libertate* nomen sortiuntur ( §. 2. ).

§. IV.

**D**ari actiones vere *liberas*, contra fatalismi defensores eo firmiter tenemus, quo certius est, illis vel prorsus negatis, vel ad metaphysicam aut physicam necessitatem amandatis, frustraneam esse actionum *imputationem*, & quæ hinc pendet, legis ad certa facta applicationem. Non opus est, ut multis notionem libertatis evolvamur; pertu.



pertinet enim hæc cura ad psychologiam. Breviter saltem indicamus, libertatem esse illam animæ rationalis facultatem, quæ ex pluribus æque possibilibus, intellectui repræsentatis, absque coactione, vult, quod sibi maxime placet. Liberæ ergo actiones, quia à libertate voluntatis unice dependent ( §. 2. ), sunt actus voluntatis, dicto elicitimodo. Ad demonstrandam hæc animæ libertatem & actionum liberarum existentiam, aliis non egemus principiis, quam sensu animæ intimo, omnibusque communi, quo sentimus nostras volitiones non esse unico modo possibles, quum variæ sint, & unaquæque variam admittat determinationem. Exalare idcirco colligimus omnem *metaphysicam* necessitatem, in unicitate determinationis collocatam. ( §. 3. ) Sentimus nos, intuitu finium quid velle, non per cæcum & cognitione vacuum mechanismi tactum & impulsum; sentimus volendi facultatem non ad id, quod actu vult, ita esse adstrictam, ut aliud agere non possit. Nulla ergo locum habet *physica* necessitas, quæ respectu facultatis & viriû ad unicum est alligata ( §. 3. ), nec ulla *externa causa*, physico impulsu, ad unicum necessitans. Unde simul liquet animam propriâ & interna vi, non peregrina & externa cogente ad volendum uti. Conscii etiam nobis sumus, nos non nisi in bonum & malum cognitum, appetendo & averfando ferri, ignotique nullam esse cupidinem, nullam averfationem. Sentimus denique animam ex

4  
pluribus objectis, facultati æque possibilibus, prout placet, unum eligere, alterum respicere, immo uno proposito objecto illud vel velle vel nolle. Nemo igitur, nisi refractarius, inficias ibit, genuinam & a nobis descriptam libertatem tam firmo niti fundamento, ac propriam existentiam, quam nemo sine stultitia in dubium vocabit, quum dubitando confirmetur.

§. V.

**Q**uamvis anima in volendo sit libera (§. 4.) volendi tamen actum nunquam sine *motivis* exercet. Est autem *motivum* nihil aliud, quam ratio sufficiens nostri appetitus & averſationis, seu est id, unde intelligitur, cur actio hæc vel illa, per volendi facultatem possibilis, fiat potius quam non fiat, hoc potius modo quam alio. Certe, quum voluntas, vi suæ facultatis & libertatis, non ad unum magis determinata sit, quam ad alterum, possitque ideo agere & non agere, agere hoc & aliud (§. 4.), nisi cœcum & irrationabilem *casum*, naturæ intelligenti inimicum, absurde admiseris, fatearis necesse est, volitionem, quæ determinatum involvit actum, sufficientem & determinatam postulare rationem, cur fiat potius quam non fiat; cur talis & non alia. Ex quo inferre licet; animam in volendo nihil eligere nihilque averſari, nisi quatenus electionis & averſationis sufficiens adsit ratio, i. e. nisi habeat aliquod *motivum*.

§. VI.



## §. VI.

**M**otiva, quibus voluntas in appetendo & aver-  
sando determinatur, consistunt in repræsen-  
tatione boni & mali, i. e. adest appetitus motivum,  
ubi aliquid nobis ut bonum repræsentamus. obti-  
net aversionis motivum, ubi quid nobis ut ma-  
lum percipimus. Quod, ut firma experientia mu-  
nitum, facile adsumimus.

## §. VII.

**N**ovimus porro, experientia teste, boni & mali re-  
præsentationē, quæ nostri appetitus & aversionis  
sit motivum, non semper esse *distinctam*, sed suf-  
ficere sæpe *confusam*, immo *obscuram*. Quorsum  
spectare videntur tacitæ consuetudines, ab ipsa a-  
gentibus non agnitæ, nec non temperamentorum in-  
clinationes. Non ergo requiritur ut *bonum & malum*  
quæ voluntatis sunt motiva, sit verū bonum, & verum  
malū. Sufficit si utrumq; ut tale, nobis repræsentam<sup>9</sup>:  
vel comparative tale existat: Fieri namque potest,  
ut in collisione boni majoris & minoris, utrius-  
que veri, hoc aversemur, illud appetamus. *Bonum*  
enim *minus* in exclusione & comparatione boni  
majoris, malum esse; *malum* autem *minus* quate-  
nus comparatur cum malo majori illudque  
excludit, bonum dici debere, demonstratur in meta-  
physicis.

## §. VIII.

**O**blervetur præterea motivum voluntatis non  
semper esse *objectivum*, ex cognitione rei, quam  
appetimus vel aversemur desumptum, sed aliquan-

do *subjectivum*, ex repræsentatione nostri ipsorum, qui aliquid appetimus vel averſamur, hauſtum. Denique & illud notandum; hæc motiva non eſſe neceſſitantia & cogentia, ſed ſvadentia: poſſe *animam* ex ſua activitate, poſſitis licet motivis, & inclinationibus, agere & non agere; poſſe intellectum quaſi commovere ad alia motiva ſibi repræſentanda, poſſe intellectus ſtricte ſic dicti, repræſentationes reprimere, & ad imaginationis ſenſuumque fortes inclinationes ſeſe determinare; poſſe viciffim has reprimere, & illas ſequi. Perſpicimus ergo motiva a nobis deſcripta eo minus libertatem agentium moralium tollere, quo certius eſt, nullam *rationalem*, adeoque veri nominis, ſine his dari libertatem (§. 5.).

## §. IX.

**R**egula ſeu *norma*, generaliſſimi acceptione, id denotat, ad quod alterum eſt exigendum. Sic inſtrumento, quod *norma*, artificibus dicitur, lineæ rectæ rationem exigimus. Speciatiſſimi vero & ſtrictiori ſenſu in relatione ad liberam hominum actionem, regula ſeu *norma* eſt propoſitio, ſecundum quam judicat quis, ſibi heic & nunc, hoc potius modo, quam alio eſſe agendum. Ad hanc ſtrictiorem regulæ notionem heic & in ſequentibus reſpicimus. Cæterum caveamus oportet, ne regulam hoc ſenſu acceptam, cum *lege* confundamus, ad cujus indolem conſtituendam, plura omnino requiruntur.



**D**iximus motivum esse id, unde intelligitur cur actio hæc vel illa, hoc potius modo, quam alio suscipiatur ( §. 5. ), sed per regulam intelligimus, cur judicet homo esse agendum potius, quam non agendum; hoc potius modo, quam alio ( §. 9. ), regula ergo est motivum actionum liberarum. Simul perspicimus hominem, ratione præditum, quæ propositam regulam, non modo intelligere, sed & actionum suarum notiones formare, easque cum regulâ conferre potest, libera etiam voluntate esse instructum, quæ, sine detrimento suæ libertatis, semet ad motiva flectit. ( §. 1. 8. ) perspicimus, inquam, hominem his dotibus instructum ejusmodi possidere naturam, ut ad regulam aliquam undecunque ortam & positam, possit liberas suas actiones conformare, & nihilo minus liberum existere agens.

## §. XI.

**P**ersona A dicitur *superior* respectu aliarum: B, C, &c. si eadem habeat jus postulandi determinationem actionum liberarum tam B C, non ipsarum, sed suæ voluntati conformem; ut nisi ita actiones determinaverint; maneat eas aliquod malum. *Seu:* Superior est, qui jus habet, pro suo arbitrio disponendi de actionibus aliorum. Aliæ autem illæ personæ B, C, &c. in relatione ad superiorem A, ejus *Inferiores*, imo *subditi* vocantur.

**V**oluntas ergo superioris, inferioribus communicata regula agendorum inferioribus est. Per se patet voluntatem superioris, secundum quam inferiores suas determinant actiones, involvere de agendis & de non agendis propositionem; secundum quam, ut cognitam sibi que communicatam, quum suas actiones determinare debeant inferiores (§. 11.) ad illam, tanquam ad rationem determinantem, iudicant heic & nunc; hoc potius modo quam alio esse agendum. Illam ergo pro agendorum regula habeant necesse est. (§. 9.)

## §. XIII.

**R**egulam esse motivum actionum liberarum ostendimus modo (§. 10.) & simul evicimus motivum voluntatis libertatem minime subvertere (§. 2.) unde sua quasi sponte fluit voluntatem superioris, inferioribus communicatam, libertati eorum haud officere (§. 12.), sed ejus vetare abulum. Superioris ergo regula non facit actionem regulæ huic conformem, absolute necessariam (§. 3.), neque eam respectu virium agentium, quas possident inferiores, impossibilem, & idcirco actionem, attemperatam ad hanc regulam non physice necessariam. (§. 3.). Utraque enim hæc necessitatis species libertatem subvertit (§. ut) Neque opus habuisset superior repræsentatione mali; quod regulæ transgressores manebit (§. 11), si vis regulæ tanta foret, ut absolutam vel physicam necessitatem actionibus inferiorum inferret.

## § XIV.



§. XIV.

**N**ecessè est, ut inferiores ad voluntatem sui superioris, ceu regulam cognitam sibi, communicatam, liberas suas actiones conforment. Ex generali necessarii notionè (§. 3.) liquet non necessarium, oppositum agnoscere possibile, unde, si inferioribus non necessaria esset actionum determinatio ad voluntatem superioris sibi etiam communicatam, liceret eis, neglecta voluntate superioris, proprio agere arbitratu; quod quum juri superioris postulandi actionum determinationem suæ voluntati conformem, repugnèt (§. 11.) patet necessarium esse, ut inferiores ad voluntatem sui superioris, ceu regulam (§. 13.) cognitam, sibiqve communicatam, liberas suas conforment actiones.

§. XV.

**N**ecessitas, cujus §. præc. meminimus, non est absoluta neque physica, sed moralis. Quarevis salvo jure superioris non liceat inferioribus, liberas suas actiones, contra voluntatem superioris instituere (§. 11.): inferiores tamen regulæ sui superioris morem gerentes, eam ob causam nulla necessitate, vel absoluta vel physica constringuntur (§. 13.). Hoc ergo respectu, ipsis non est necessarium, ut ad regulam superioris se in agendo conforment. Necessitas itaque, cujus (§. 14, facta est mentio, a modo memoratis necessitatis speciebus differt, non ex alia re, ut ex præc. §pho patet, dependens, quam quod salvo jure superioris in inferiores, his

non liceat contra illius regulam suas determinare actiones. Est vero necessitas moralis, cujus oppositum habet non nisi moralem impossibilitatem, seu quod salva actionum rectitudine aliter fieri nequit. Necessitas ergo, cujus in §. 14. meminimus, non est nisi moralis.

§. XVI.

**S**ic demum perspiciamus, *veram obligationem* consistere in necessitate morali, a jure superioris profecta. Oritur itaque obligatio ex conscientia juris, quod superior in inferiores habet, & vi cujus sentiunt obligati, sibi non amplius licere proprio vivere arbitrato, sed ad voluntatem sui superioris, seque peccando contra voluntatem superioris, malum, quod in transgressores est statutum, recte mereri. Obligatio igitur interne, respectu videlicet obligati, non male habetur pro conscientia, vel sensu interiori necessitatis moralis, a jure superioris profecta. Recte hinc juris naturalis Doctores adserunt obligationem veram & internam tales præsupponere causas, quæ intrinsece conscientiam inferiorum ita afficiant, ut ex proprio rationis dictamine judicent non recte, adeoque non jure se resistere. Neque obligationem evertit, quod dentur homines, qui quantum penes ipsos, conscientiam dictamina spernere & suffocare, conantur. Hanc enim obligationem non absolutam & physicam inferioribus inferre necessitatem diximus; quibus positus, reluctatio esset vel absolute vel physice impossi-



possibilis (§. 3. ); sed moralem tantum a jure superioris ortam, cui quidem actu ipso ( non de jure ) resistere possunt immorigeri, non tamen inde cessat jus superioris in eos neque necessitas inde profecta. Nec sequitur eos posse omnem, de debito obsequio conscientiam penitus subvertere & tollere. Experientia enim docet, superstites esse pun-cturas, quæ data occasione, cum majori mentis angore sese extierunt. De cætero, quod ipsam obligationis, a nobis allatam attinet definitionem, notamus necessitatem moralem solitarie positam, ejus essentiam non absolvere. Moraliter enim necessarium diximus, quod ob rectitudinem actionum aliter positum implicat (§. 15. ) pro diversa igitur mensura, ad quam exigimus actionum rectitudinem, varium esse potest moraliter necessarium. Hinc ad evitandam inconvenientiam, ex usu & consuetudine, etiam ad tempus receptis, judicatum, nonnunquam agimus, contententes nos non posse aliter agere, salva scilicet manente convenientia cum usu & consuetudine. Est vero hæc impossibilitas aliud agendi, non nisi moralis, speciem moralis necessitatis generans, quæ tamen a jure superioris non provenit, nisi usus & consuetudo ab illo determinentur. Accedit superiorem, vi suæ sapientiæ, inconvenientiam actionum evitare, adeoque dari eo sensu, in ejus actionibus quandam necessitatem moralem, nemo tamen dixerit in eum, qua talem, cadere obligationem. Re-

Et igitur in allatâ obligationis definitione necessitatem  
 moralem, generis tantum loco allegavimus, quod  
 vero a jure superioris profluat; loco *differentiæ* spe-  
 cificæ.

§. XVII.

**E**st obligatio necessitas moralis, à jure superioris  
 profecta (§ præc.), nulla itaq; absq; idea superioris  
 veri nominis datur obligatio. Neque inter pares  
 i. e. ejusdem potestatis & juris personas locum  
 habere potest, sed semper interiores respicit, qui-  
 bus superior hanc necessitatem injungit. Omnem  
 hinc fontem veræ & genuinæ obligationis, quæ  
 intime conscientiam agentium constringat, ex jure  
 superioris deduci intelligitur. Quam primum enim  
 subjectionis sensu, ex agnitione sui superioris oriun-  
 do, tangitur homo, vera in animum ejus introduci-  
 tur obligatio. Ad quod probandum cum alia o-  
 pus non habeamus re, quam ut interna experien-  
 tia, & debita cum attentione in se ipsam reflexi-  
 ve descendat anima, examinetque quid requiras  
 prius, quam sentiat se ad aliquid agendum vel o-  
 mittendum esse obligatum, certo quoque confidi-  
 mus quemvis nostræ assertionis veritatem suo assensu  
 excepturum. Hinc Pufendorfius de Jure Nat: &  
 Gene. L. I. C. VI. §. 9. Introducitur, *inquit*, obligatio in  
 animos hominum proprie a superiore, i. e. tali,  
 cui non solum vires sunt malum aliquod repræsen-  
 tandi contrahentibus, sed & cui justæ sunt causæ,  
 quare postulare queat ex suo arbitrio voluntatis



nostræ libertatem circumscribi. Iustæ causæ, quarum mentionem injicit *Pufendorfius*, præcise faciunt, ut quis sit superior, & non nisi ex consideratione superioris patent; ergo neque ordine rationis antecedenter ad superiorem concipi possunt.

§. XVIII.

**C**onsilium est sermo, quo vel nude significamus, quid nobis videatur ut fiat, vel simul rationibus ad suscipiendum quidquam, aut omittendum adducere aliquem conamur. ita tamen ut in utroque casu, arbitrio alterius relinquatur, quid facere velit. Hanc consilii notionem probant omnia, in quibus consilii adhibemus nomen, exempla. Ex multis unum adferemus. Ambiat Verinus in republica officium, ad quod se aliis digniorem putat; nesciat vero quomodo in hanc conditionem a Sempronio, qui de illa jus disponendi habet, collocetur; adit ergo Sincerum, cui suum aperit propositum, petitque velit sibi significare, quid factu sit opus. Nemo non fatebitur Verinum a Sincero consilium expetere, qui facta tecum consultatione, & circumstantiarum circa præiens negotium dijudicatione, vel simpliciter dicit sibi videri, ut Verinus Titii intercessione utatur; vel simul rationes adducit, quibus Verinum ad hoc faciendum commovet. Igitur vel ex hoc unico patet exemplo, veram esse, quam allegavimus consilii notionem. Sin vero quis cum aliis velit consilii vocabulum ad casum tantum primum, quo consulens simpliciter significat

ficat, quid sibi videatur, restringere, & invasionis terminum ad illum adhibere calum, quo simul rationibus & motivis alterum ad quid faciendum adducere conamur, per nos licebit, modo simul concedat, laxiorem consilii significatum usu etiam communi probari.

§. XIX.

**C**onsilium expetentis arbitrio relinquitur, quid facere velit ( §. 18. ). consilium ergo a superiore quatenus superior est, nunquam datur ( §. 11. ), non ergo in se spectatum, vim obligandi habet ( §. 17. ), neque nisi volentibus dari potest, quum obligatio etiam nolentibus injungatur.

§. XX.

**O**mnia obligatio est connexio motivorum cum actione, sed non quavis motivorum cum actione conjunctio, obligationem infert. Est obligatio necessitas moralis a jure superioris perfecta ( §. 16. ), vi cujus sentiunt inferiores, salvo superioris in se jure, sibi non licere alio modo liberas determinare actiones, quam prout illas determinandas injungit regula a superiore communicata ( §. 14. 15. ). Adest ergo in obligatione nexus inter inferiorum actiones & regulam superioris ( illa enim inter se connexa philosophis dicuntur, quorum unum ex altero determinatur ), sed quam regula sit motivum actionum liberarum ( §. 10. ) intelligitur obligationem motivorum cum actione involvere con-

xio.



xionem. In consilio vel expresse allegantur motiva, vel ad alterius consilium tanquam motivum, suam determinat actionem, qui consilium sequitur. ( §. 18. ), consilium autem vi obligandi destituitur ( §. 19 ) non ergo quævis motivorum cum actione connexion obligacionem infert.

### §. XXI.

**F**X his jam perspicue intelligitur *non recte defini obligationem per connexionem motivorum cum actione.* Demonstrant enim Logici definitionem cum suo definito re ipsa unum idemque esse; mutuam ergo inter definitum & definitionem, reciprocationem, constantem esse bonæ definitionis characterem quisque videt. Quia autem non quævis motivorum cum actione conjunctio obligacionem infert ( §. 20. ), nulla reciprocatio inter obligacionem & motivorum connexionem locum invenit. hæc ergo obligacionis non constituit definitionem.

### §. XXII.

**D**Einde posita hac definitione obligacionis, sequeretur homines quoque ad bona apparentia obligari. Nam adeo late motiva explicant hujus definitionis defensores, ut ea ad quasvis boni & mali repræsentationes extendant, & quidem recte; quum, teste experientia, in ea latitudine motiva sumantur, ( §. 7. ). Comprehendunt ergo motiva

tiva sensuales etiam boni & mali repræsentationes, quæ non nisi apparens bonum & malum generant. Unde si obligatio consisteret in connexionem motivorum cum actione, daretur etiam ad bonum & malum apparens obligatio, quod tamen absurdum omnes facile agnoscunt. *Excipiunt, non quævis motiva obligationem inferre, sed requiri ut motiva sint legitima, b. e. ut ad ea adhibenda Lege Naturali obligemur, vel jus habeamus.* Verum hæc exceptio nihil involvit aliud, quam quod detur ex Lege Naturali obligatio, secundum quam examinemus an motiva sint legitima, quorum connexionem absolvitur obligatio, Prior itaque obligatio, fundamentum est posterioris unde in obligationis natura evolventa, non ad hanc sed ad illam respicere tenemur, quæ cum determinet quænam motiva sint legitima, non potest consistere in conjunctione motivorum cum actione. Ceterum addere licet generalem motivorum explicationem, quæ in definitionem obligationis, de qua disseritur, sine restrictione influit, irritum reddere estugium ad legitima motiva, Imo si definiretur obligatio per connexionem motivorum legitimorum cum actione, & legitima dicerentur motiva, ad quæ adhibenda lege Naturali obligamur; apertus committeretur in definiendo circulus, contra regulas Logicorum.

§. XXIII.

**A**ccedit, memoratam obligationis definitionem exemplis probaturos singularibus, provocare ad



ad Principem vel alium superiorem, qui repræsentatione pœnarum & præmiorum commovet suos inferiores ad aliquid omittendum, vel committendum, & hinc inferre, omnem obligationem consistere in connexione motivorum cum actione. Non vero probant omnem motivorum cum actione conjunctionem obligationem absolvere, adeoque non evicerunt obligationem hoc modo esse definiendam.

§. XXIV.

**T**Andem & illud addendum, quod definitio obligationis, per connexionem motivorum cum actione instituta, ipsam formam obligationis negligat. Plerorumque enim consensu, obligatio tunc demum in animis hominum oritur, quando ob sensum dependentiæ in conscientia quisque convictus, impune sibi non licere videt a voluntate superioris recedere. Fingamus tamen ab idea obligationis remotum esse superioris sensum, unâ certe tolleretur omnis in agendo necessitas moralis, a jure superioris protecta, omneque jus exigendi obsequium, & potestas cogendi reluctantem. Sed qualis his destituta foret obligatio? ex mero agentium beneplacito penderet, cui sine justitiæ & conscientiæ læsione, libere nuntium mittere posset homo. *Verum, ais, motiva rerumque connexionem, beneplacito agentium non subesse, sed ex naturali rerum connexionem intellectui exhibita, pendere.* Sit ita. At si quis illam curam examinandi rerum

naturalium connexionem negligat, an in conscientia teneatur? minime, quum nemo sit, qui eum ad hoc examen instituendum stringat. Examini ergo hujus institutio, sine qua motiva, ex naturali rerum connexionem pendula, non haberet, merito ejus subjacet beneplacito. Accedit, animam ex sua activitate posse distinctas intellectus representationes reprimere & ad imaginationis sensuumque fortiores inclinationes se determinare, posse vicillim has reprimere & illas sequi (§. 8.), ut adeo in motorum constitutione, beneplacito agentium plurimum debeatur.

### §. XXV.

**S**ed excipis: Veri nominis obligationem a jure superioris non necessario proficisci, sed posse esse obligationem absque superiore. Nam quatenus superior obligat, representatione puniarum & praemiorum, tanquam motivis volitionis & revulsionis, utitur. Sic quando natura, posita hominum utrumque essentia & natura, obligat, actionum intrinseca bonitate & malitia tanquam motivis volitionis & revulsionis utitur. Tam hujus ergo, quam illius obligationis, eadem in animam humanam est via, eadem efficacia. Non itaque necessarium est in obligationis natura statuenda, ad jus superioris provocare. *Ad* respondemus, Magnum esse inter utramque, quae ponitur, obligationem, discrimen. Conveniunt quidem in eo, quod utraque conjungat motiva cum actione, verum in eo, maxime *dit-*



differunt, quod obligatio a jure superioris profecta, cum imperio ita conjungat motiva cum actione, ut siue nolit, siue velit homo, qui hujus imperii siue juris, obligationisque inde pendentis, est conscius, non possit non sentire, suo arbitrio non amplius relictam esse actionum suarum determinationem: Obligatio autem, cujus ratio sufficiens in ipsa hominis rerumque essentia & natura, ab idea superioris prorsus abstrahendo, ponitur, per modum imperii, motiva cum actione non conjungit. Haecenus ergo arbitrio hominum relinquitur actionum determinationem, quatenus penes ipsos stat, an distinctas intellectus, an vero confusas sensuum & imaginationis boni & mali, sequi velint, ideas. Neque dici potest distinctas boni & mali representationes, appetitum & aversionem in instanti usque adeo determinare & necessitare, ut nulla, inter factas in mente representationes & applicationem activitatis ad actionem vel omissionem, temporis intercurrat mora, qua possit pro lubitu illas vel approbare vel respuere, vel alias, ex confusa cognitione oriundas, in illarum substituere locum, & ad has jam fortiores, se in agendo & omittendo componere. Attenta ad *seipsum* experientia non sinit, ut de hac libertatis activitate ulli oriatur dubium. Jam vero cum hoc veritati conveniat, haud immerito quaeri potest, quid efficiat, ut homo non proprio vivere audeat arbitrio? quid ut distinctis,

non perinde confusis flectatur repræsentationibus?  
 Utrumque sibi relictus & imperio superioris non  
 necessitatus, & facit & facere potest homo. Fieri  
 ergo nequit, ut veri nominis obligatio, abstra-  
 hendo a jure superioris, poni possit in connexio-  
 ne motivorum cum actione, ex essentia & natu-  
 ra rerum, hominisque de-  
 sumtorum.

## TANTUM.

